
CICELER
IN
CHRIST. III.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 274 [35,-172 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 274 [35,-172 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 274 [35,-172 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 274 [35,-172 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 274 [35,-172 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 274 [35,-172 4°]

35,-172-4°

Box

(LN bis 274)

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 274 [35,-172 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 274 [35,-172 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 274 [35,-172 4°]

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO REGI DANIAE, ET NORVVEGIAE, etc. D. FRIDERICO, D. CHRISTIANI III. REgis, ex his miſerijs humanis ante paucos dies in cœleſtem Eccleſiam euocati, filio.

GRATVLATORIVM CARMEN, AVTORE

DAVIDE CICELERO MAGDEburgenſi.

ANNO M. D. LIX.
Menſe Auguſto.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 274 [35,-172 4°]

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 274 [35,-172 4°]

SERENISSIMO
ET POTENTISSIMO RE
GI DANIAE, ET NORVVEGIAE, etc.

D. Friderico, D. Chriſtiani Regis filio, Domino
ſuo clementiſsimo. S. P.

VT Deus in rebus regit omnibus omnia mente
Prudenti, mundi ne uioletur opus.
Sed mens eniteat rebus diuina creatis,
Et pateat,,quod ſit, qui regit iſta, DEVS.
Sic etiam humano generi dat & ordinat autor
Rerum, qui præſint ciuibus, ipſe duces.
Et crucient pœnas meritos, & præmia iuſtis,
Attribuant, iura & legis acerba colant.
Sicut enim nauis rapidis agitata procellis,
Quando Rector abeſt, frangitur atque perit.
Publica ſic uarijs res tempeſtatibus acta,
Imperij nullo ſceptra gerente, ruit.
Ergo ut ciuilis uigeat concordia uitæ
Perpetuò, ſanxit iura uerenda DEVS.
Atq; Magiſtratum dedit, ut nos lege gubernet,
Humaniq; tegat uincula firma ſtatus.
Et cum difficilis ſit Vulgus *cura regendi,*
Nec ſatis humana poßit ab arte regi.
Ipſe Deus præſens reges iuuat, atq; labores,
Alleuat ipſorum, ne uideatur onus.
Excitat & reges, & uires uiribus addit
Ipſorum, ut frenent carcere uulgus iners.
Hos inter reges, Heroas *& inter honeſtos,*
Quës rerum conſtat ſceptra dediſſe DEVM.
CHRISTIANVS *primum, decus, & laus, gloria ſtirpis,*
Holſatæ, tenuit, Rex FRIDERICE, *locum.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 274 [35,-172 4°]

Chara ſubit quoties huius mihi regis imago.
Ad CONSTANTINI tempora curro pij.
Is de Cæſaribus primus confeſſus Ieſum,
Defendit gladio dogmata ſacra ſuo.
His quoq; Rex FRIDREICH uarijs uirtutibus aucte,
Sed pietas prima eſt, annumerandus eris.
Namq; colis toto Chriſtum, Chriſtiq; miniſtros,
Corde, tibi curæ ſunt ſacra uerba Dei.
Largos impendis ſumptus, uulgata per oram,
Vt ſint imperij dogmata uera tui.
Atq; uiros uaria doctrina atq; arte politos,
Sumptibus ipſe foues, templa, ſcholasq; iuuas.
Ergo quis hunc nolit gratari regis honorem
Rex tibi? quæ poßit Muſa tacere rogo?
DANICA cur regio nunc non lætetur, amanti
Ciues & patriam nobilitata duce?
Cur ſint & uultu triſtes & uoce ſorores,
Cum te patronum, Rex FRIDERICE, ſciant?
Hinc ego CALLIOPES conſcripſi carmina iuſſu,
Et cecini regis munus & omne decus.
Vt me teſtificer uenerari ſceptra regentum,
Eſſe Dei & ſummum, munera regis, opus.
Deinde tibi uolui, rex inclyte, regis honorem,
Gratari & regni ſceptra gerenda tui.
Accipias igitur, rex illuſtrißime, uultu,
Hæc placido noſtræ carmina pauca, Deæ.
Addictumq; tuæ me Maieſtatis honori,
Prouehe, ſitq; tibi tradita cura mei.
Hoc ſi præſtiteris, regem dominumq; ſupremum,
Orabo, ut ſacro numine ſceptra regat.

T. REGIAE MAIESTATI
Addictiß.
David Cicelerus Magde-
burgenſis.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO REGI DANIAE, ET NORVVEGIAE, etc. D. FRIDERICO, D. CHRISTIANI III. REGIS,

ex his miſerijs humanis ante paucos dies in cœleſtem Ec=cleſiam euocati, filio.

GRATVLATORIVM CARMEN.

CEdite Pierides lugubri ueſte decoræ,
Cedite, quæ ſancti luxiſtis funera regis
DANORVM, lachrymis oculos atq; ora rigantes,
Ipſe quidem dignus luctu fuit inclytus Heros,
Et licuit lugere pijs, cum mortis obiret
Vincula Rex decus atq; Holſatæ gloria ſtirpis
Nam uelut humanis inſeuit cordibus ignes,
(Quos ϛοργὰς dicunt) Deus ut demonſtret amorem
Quo Gnatum ſine fine ſuum complectitur & nos,
(Vnde malis noſtros cum triſtia fata parentes
Affligunt, quotquot nati ſumus, angimur omnes)
Sic Deus inſeuit nobis quoq; mitis amorem
Reges atq; duces quo complectamur, & omnes
Angamur, quando patiuntur uulnera mortis
Ergo CHRISTIANI crudelia funera regis
Dania defleuit iuſtè, Chorus atq; ſororum
Theſpiadum, patrem Muſarum luxit ademptum
Huius ſi uellem laudes comprendere paucis
Ipſe ſuis meruit quas factis, uerſibus omnes,
Suſciperem pondus, quod noſtris uiribus impar
Eſſet, & incepto deſiſtere cogerer iſto.
Nam fuit hic nulli ueterum uirtute ſecundus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 274 [35,-172 4°]

Nec tulit hoc unquam maiorem Holſatia tellus
Nec feret: Imperio nam præfuit ipſe, feratur
Vt ſummis cœli ad fulgentia laudibus aſtra
Amplexus domini Verbum, uerbiq; miniſtros
Artibus addictos ſacris, ut fortia, fouit
Fulcra ſui (quibus haud ſe poſſe carere putabat)
Imperij, Verbum domini curauit & oram
Per totam regni (donum cœleſte) doceri
Extremis etiam terris oracula cœli
Curauit tradi, ſunt ut Gotlandia, Seland,
Vltima Noruegia, & quæ ſunt loca proxima, denſis
Quæ tenebris papæ iamdudum oppreſſa fuere,
Nunc cum delubris, hoc Vindice, pulſa prophana
Fictilium ſacris iaceant ſimulachra deorum
Rectè Euangelij populis cœleſtia iuſſa
Tradunt præcones digna mercede recepti
Spargentes uerò cœleſti diſſona uerbo
Dogmata, uel Papæ delyria, reppulit omnes
Rex, uelut Ezechias purgauit & omnia templa,
Proq; Dei cultu caput obiectare periclis
Et quaſcunq; uices, ideo non ferre negauit,
Ipſe Deum uerum uero celebrauit honore,
Sicut & à Chriſti fuit illi nomine nomen
Deductum, Chriſto ſic dedita pectora geßit
Ipſe fuit clemens & ſeruantißimus æqui
Pacis & optatæ fuit haud ſtudioſior alter
Nam uelut Ezechias quondam ſanctißimus Heros
Non temerè mouit bellum, ſed tempora pacis
Dulcia, quæ populi tamen ante ferenda ſaluti
Non erat æternæ, paruo non ære redemit
Sic & honorifico Rex maieſtatis honore
Hic deſignatus placidißima pacis amauit
Tempora, ut hoſtilem non DANIA uiderit unquam
Turbam, nec regio ſit deuaſtata, quod omnes

Agnoſcant

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 274 [35,-172 4°]

Agnoſcant meritum Regis pietate decori
Quid? quod & ipſe ſcholas inſtruxit ſumptibus ut ſic
Artes diſcantur, quæ, ſi qua eſt, gloria magna eſt
Hinc doctis florent Danorum regna repleta
Qui callent latiæ, Graiæq; idiomata linguæ
Et totam ingenij regionem laudibus ornant
Quorum & conſilijs Reſpublica Danica floret
Hæc patre rege tuo ſunt Rex Friderice peracta
Pro quibus ex uero dicamus pectore grates
Sceptra, deo danti reges, qui rite gubernent
Quid repetam multis eius iuſtiſsima bella?
Quasq; ſibi gentes dextra ſubiecerit urgens
Victrici? Sæuo nam Marte togaq; ualebat
Exacto tandem placidiſsimus exitus æuo
Eius erat. Chriſto nam fidens carcere uitæ
Deceſsit, gnato committens regia ſceptra
Sed prius horrendos animo patiente dolores
Pertulit, & tandem terreno lumine caſſus
Cœleſti fruitur nunc conſuetudine lætus
Cum reliquis, qui ſunt defuncti, regibus antè
Hunc tam præclaris regem uirtutibus auctum
Interijſſe dolent meritò uirtutis amantes
Huius Theſpiades deplorant fata ſorores
Triſtia ſubſidijs eius præſentibus orbæ
Nam mihi ſi centum linguæ ſint, oraq; centum
Non poſſem numeros meritorum æquare canendo
Quæ dedit ingenio CHRISTIANVS & arte politis
Sed quoniam moriens natos uirtutibus auctos
Multis, doctrina, ingenio, pietate reliquit,
Quorum maiori natu ſunt tradita ſceptra
A patre qui iuſto eſt FRIDERICVS nomine dictus
Hoc ſe ſuſtentent dulci ſolamine rurſus
Quod generoſa patris ſoleat ueſtigia proles
Sæpe ſequi, niſi ſit prorſus corrupta leuisq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 274 [35,-172 4°]

Hunc igitur natum patris uirtute decorum
Eſſe ſuum regio lætetur Danica regem,
Huc Heli coniades ueniant cum præſide phebo,
Tempora frondiferis redimitæ flaua coronis
Cunctaq; triſticiæ deponunt ſigna ſonantem
Et Cytharam ſumant atq; edant iubila læta
Ecce coronandi Fridericum rege parente
Natum, tempus adeſt uotis perſæpe petitum,
En ſacra reſplendet ueſtita tapetibus ædes,
Dulce canunt Cytharæ, ſic organa dulce, tubæq;
Ante ferunt regem regalia ſacra per urbem
In templum, gladium, ſceptrum, pomum atq; coronam.
Ad ſacra deponunt decus hoc, altaria, regni
Ecce coronandi ritus & iura ſacerdos
Inchoat, en gaudent populus, regniq; ſenatus
Edite nunc plauſus & iubila læta ſorores
Caſtaliæ, regem nunc decantate potentem
Cernitis Heroum magnam procerumq; Cateruam
Qui regi gaudent hunc Maieſtatis honorem
Attribui, & celebris conuenit hic ordo uirorum,
Hanc regis ſellam, Maieſtatemq; uerendam
Regis opus ſummum teſtentur ut eſſe ſupremi
O tibi fœlicem ſe currens præbuit annus
Hæc tibi læta dies fauſto ſe protulit ortu
Aucte bonis animi rex inuictiſsime FRIDREICH.
O nimium fœlix hunc cui ſpectare triumphum
Contigit, ô multo regni fœlicior huius
Ciuis, præclaro regis qui uidit honore
Ornari, eximio FRIDERICVM ſtemmate natum,
Hic exoptarem mihi uenam uatis Homeri
Qua quondam cecinit magnæ uirtutis Achillem
Vt digno regis celebrarem carmine munus,
Atq; imponendi regi Diadema triumphum
Sed licet ingenij non ſit mihi tanta facultas,

Quanta alijs, ſtudium rebus tamen impar agendis
Haud erit, inſtructum modò me deus ipſe gubernet.
Ante Noham nulli geſtabant frena regentes
Aurea nec capiti fuit hic imponere ſerta
Mos Regis, nec ei committere ſceptra gerenda.
Namq; uerebatur populus tum iura parentum,
Et ſumma imperij pendebat ab auſpice Noha
O quàm fœlices, o ter quaterq; beati
Hæc bona uel potius quibus aurea contigit ætas
Nam tunc barbaries regnis inimica beatis
Nulla fuit, nulli uaſtantes regna latrones
Sed tunc pectoribus candor, ſincera uoluntas,
Sancta fides, uera cum relligione fuère,
Et populus placida concors in pace quieuit.
At de ſtirpe chami Babylonica regna tenentis
Imperij creuit grauis & ueneranda poteſtas,
Nam tunc deterior paulatim ac decolor ætas
Et belli rabies & amor ſucceſsit habendi,
Barbaries regum, populiq; Cainica uita,
Et furor incepit cunctis dominarier oris,
Sed pater omnipotens, rerum á quo pendet hic ordo,
Conſtituit ſellam, Maieſtatemq; colendam,
Et genti indomitæ & nulla ſe lege tenenti
Præfecit reges, ſparſos iunxitq; penates,
Compoſuit leges, ne pax infractaq; uirtus,
Cederet, & pietas nunquam peritura maneret,
Atq; dedit Sceptrum ducibus, quo fœdere certo
Afficerent pœnis turbantes uincula uitæ,
Et tegerent æquis parentes legibus omnes,
Hinc Deus excitum NIMROTH in regna uocauit,
Et iuſsit dextra gentes frenare ſuperbas,
Ad fuit huic dominus, uires & ſubdidit iræ,
Quò latè fines mundi, populosq; feroces
Cogeret, ut iuſtis parerent legibus, ille,

Latrones fato crudeli miſit ad Orcum,
Aurea tunc illo NIMROTH ſub rege fuerunt
Secula, iuſtitiæ cultus, ſanctiq; pudoris
Et ſine fraude fides uiguit, pax aurea uirtus
Veraq; relligio cunctis precioſior iſtis
Talis & Ezechias fuit & Ioſophata potens rex
Et plures, quorum ſcriptis patet ordo libellis
His dedit imperij deus illo tempore ſceptra
Nam Deus eſt, cuius reges ſub Numine degunt
Hic ducibus dat regna pijs, mutandaq; transfert
Hic addit ducibus uires, adimitq; uiciſsim
Et demergit humi deiectos culmine regni
Hic niſi ſit præſens, populos haud cogere poſſunt
Indomitos, uel colla iugis ſubmittere reges
Ergo ut ciuilis ſit in hac concordia uita
Ipſe Magiſtratum deus uſq; ad tempora noſtra
Conſtituit, cæcos hominum qui ſupprimat æſtus
Iuſtitiamq; ſuam cunctis exerceat horis.

Ac ne ſit dubium, grauis hæc quod cura regendi
Publica ſit cordi deo, & his quod ſedulus adſit
In quibus Imperij pondus pergrande recumbit
Hiſtoriam regis uoluamus pectore toto
Aſſyrij, ingentes ramos & brachia latè
Arboris extenſa, in ſomnis qui uidit, ad aſtra
Et pulchros ſemper dulceſq; ferentia fructus
De quibus eſt omnis regni caro paſta per oram
Captaruntq; umbras animalia quæq; ſub illis
Poſt cuſtos, cœli miſſus de uertice iuſsit
Arboris extenſos ferro conuellere ramos
Et frondes manibus uirides decerpere aduncis
Vt, uictum haud illis præbentibus amplius, omnes
Diſcedant pecudes, ramos linquantq; uolucres
Haud tamen illa cadat foſsis radicibus arbor.
His rex ſollicitus monſtris, oracula uatum

Conſuluit

Conſuluit, quid nam ſomnus portendat hic, aut quid
Latè diffundens ſua brachia denotet arbor
Hæc cum res regis uates arcana lateret
Fatidicum accerſit Danielem, ſenſa ſonaret
Qui ſomni, hæc arbor quodnam portenderet omen
Ipſe malum cernens uenturum talia fatur
Immenſos arbor ramos ad ſydera tendens
Eſt tua per totum diffuſa potentia mundum
Sub te captarunt pecudes & frigus & umbram
Et uirgulta auibus permiſerunt tua ſedem
Quod iubet excindi ramos ad ſydera fuſos
Arboris, & folia & pulchros decerpere fructus
Cuſtos è cœlo miſſus, tibi ſumma poteſtas
Exilium, mortem, triſtes caſuſq; minatur
Te, quia defecit tua uirtus lapſa, nec illum
Qui tibi regna dedit, digno uenerari honore
Vult Deus iratus ſublimi extrudere regno
Non tamen (ut dicis) uoluit de ſtirpibus imis
Arboris euelli mollem radicitus omnem
Vt lenti redeant frondes è ſtirpite, ramos
Arboris atq; ingens moles extendat ad aſtra
Quo monuit, ſi tu peccata agnoueris illa
Quæ commiſiſti, & domini quod habenda poteſtas
Sit maior, fore, ut hæc maneat tua uita ſuperſtes
Perpetuò & fœlix, regno potiaris & omni
Ergo tuam monitus uitam rex corrige ſomno
Diuino, & credas, quod fabula non ſit inanis
Sic Daniel regi uerbis ſed pluribus illum
Expoſuit ſomnum, diuino numine plenus
At Nebucadneſar diuini numinis iram
Et ſancti temnens oracula uera prophetæ
Se putat eſſe Deum, rabidus furit atq; ſuperbit
Et ſibi totius ſubiectis finibus orbis
Non credit, quod ſit ſe multò fortior alter

Haud mora deiectus ſummo de culmine regni
Caſibus horrendis torquetur & angitur, ipſi,
Sicut fatidicus Daniel prædixerat ante,
Hoc nos exemplo moniti ſtatuamus honores,
Et Maieſtatem, ſceptrum, regniq; coronam
Regibus attribui, ſicut diuina poteſtas
Decreuit, reges etiam diuinitus omnes
Supplicijs angi iuſtè non ſceptra gerentes
Solliciti uerò qui ſunt, ut regna gubernent
Legibus, his ſemper diuinum numen adeſſe.

Laude Magiſtratum uehit & ſententia Pſaltis

Egregia, ſacro quod ſint dij munere reges
Hac monuit regis decoratos nomine uates
Quam graue ſuſtineant munus, res ſcilicet omni
Cura diuinas, res humanasq; tuendi
In primis omnes ſublimi ſede locati
Vt ſit relligio, curent, ſincera per oram
Imperij, cuius ſibi ſunt concredita ſceptra
Eijciant templis Idola, Deumq; prophana
Fictilium ſimulachra, ſinant nec uoce deorum
Appellare, dei laudem tueantur ab omni
Cultu, non domini præcepto lege, prophanum
Sicut delubrum clauſit Theodoſius Heros
Ergo ut cœleſtis plantentur ſemina uerbi
Munificis doctos opus eſt ut ſumptibus ornent
Qui Iuuenes doceant artes & uulgus inane
Doctrina erudiant, quæ ſit uia recta ſalutis
Ipſe Magiſtratus magna ui pellat & hoſtes
Verbi cœleſtis, defendat & organa uocis
Diuinæ, ne diſpereat theſaurus ab alto
Ad nos demiſſus cœlo, pro dogmate Chriſti
Perferat ærumnas, & uerbera lætus agonis
Sic uerbo domini totum lucente per orbem
Eximium reges decus & bona fama ſequuntur

Poſt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 274 [35,-172 4°]

Poſt ut tranquilla Reſpublica pace fruatur
Iuſticiæ ſanctæ ſint ipſis cognita iura.
Addictamq; regant plebem ſibi legibus æquis
Formatrix morum domini ſit regula legis
Hæc ut norma iubet ſic ſeq; alioſq; gubernent
Nam ſtatuant reges hac ſe quoq; lege ligari
Et uitam degant uera pietate probatam
Supplicijs etiam uiolantes iura ſeueris
Afficiant, illos uerò qui legibus æqui
Parent, nullius lædat uiolentia, ſint &
Res curæ iuſtis illorum regibus omnes
Nam lex ſi careat pœnis, ſonus utilis haud eſt
Hac ratione deus praui & diſcrimen honeſti
Vult cerni, cunctis ut conſtet, quale ſit ipſe
Numen, amans legum, uirtutis, & ordinis, eſſet
Qui nullus, ſi non luerent peccata nocentes
Deinde Magiſtratum deus hoc armauit honore
Vt diſciplinæ condat præcepta regendæ
Quæ tamen æternæ ſint prorſus conſona legi
Et uulgi motus legum ſic carcere frenet
Ne ſit barbaries, qualis nunc Turcica fertur
Eſt ubi nullus amor legum, nec cultus honeſti
Quin nec relligio uiget ulla, ſed omnia fœdè
Fiunt, nec uindex horum deus eſſe putatur:
Vel qualem referunt uates coluiſſe Cyclopes
Semoto uentrem celebrantes Numine uero
Haud quibus ullus amor fuit, aut reuerentia legum
Sic Deus haud uoluit uulgus ſine principe ferri
Vt trahitur nunc huc, nunc illuc currus habenis
Laxatis, ipſum quò frangi ſæpe neceſſe eſt
Hinc moderatores ipſi præfecit, ut omnes
Indomitos uinclis & duro carcere frenent
His Chriſti iuſſu ſanctè parere iubemur.
Cum ducibus mandat tribui quæ ſunt tribuenda

Quæq́; Deo, reddi, quæ ſunt laus, gloria ſumma
Hæc duo cum mandant diuerſos numina cultus
Primus honor Chriſti, ſit ut alter cæſaris eſto
Quiſq; Magiſtratum merito dignetur honore
Et cenſus illi iuſtos expendat, inanes
Namq; diu magnis poſſunt ſine ſumptibus urbes
Haud conſtare, queunt nec regia ſceptra teneri
Præſidijs opus eſt, populus quæ ſubditus addat
Imperio, iuſtos ea poſt ſeruentur in uſus
Hoc docuit nummus, Petrus quem piſcis in ore
Repperit, exemplum uoluit quod pluribus eſſe
Notum, ut quiſq; ſua pro ſorte tributa rependat
Imperij auxilium, ſceptriq́; iuuamen habendi
Et moniti Pauli ſaluamus uoce tributa
Cuncta poteſtati caro ſit ſubiecta supremæ
Nam Deus inſtituit diuinum ſceptra gerendi
Munus, ut ætherei uiolantes iura parentis
Plectantur, reliqui & ſeruantes iura tegantur
Si licet exemplis hic conuenientibus uti
Quæ referunt ſcitè nobis animalia bruta
Ecce Gruum fidus toto patet orbe ſenatus
Iuſtitiæ, pulchri defenſor & ordinis autor
Hi genus indocile & diſperſum lege magiſtra
Inſtituunt ſeſe, uigiles & moribus aptis
Curant, ut diſciplinæ præcepta regendæ
Seruent, Quid? nunquam tædas uiolare iugales
Scïmus, ſed caſtam cum compare ducere uitam
Conueniunt thalamis uiolatis undiq;, ſontem
Damnant, occidunt, reliqui moneantur ut omnes
Tanta eſt cura Gruum thalamos ſeruare pudicos
His diſciplinæ tanta eſt & cura regendæ.
Qualis Apum regis reuerentia? nonne ſupremo
In precio eſt? ipſum digno uenerantur honore
Ex illo pendent omnes, & iuſſa capeſſunt

Debita, conficiunt inſigni atq; arte labores
Hæc ſimulachra deus brutis impreßit ut omnes
Laude Magiſtratum, dignis & honoribus ornent
Et rurſus uigiles regni rerumq; potiti
Reges officium præſtent, quod poſtulat autor
Regnorum, cuius reges hic munera complent
Poſtquam autem regem crudelia fata uocarunt
CHRISTIANVM placida populos in pace regentem
Quò meritò luxit ſibi DANIA patre perempto
Corruitura putans tunc omnia, nec fore regem,
Sub quo CHRISTIANI ſimilis contingeret ætas
Rex Deus, æterno cuius ſtant numine regna
Qui certo populum non uult ſine rege uagari
Prouidus, illorum mentes direxit, ut ipſum
CHRISTIANI gnatum FRIDERICVM dotibus auctum
Eligerent. Populi fuit hæc ſententia concors.
Haud mora, ſublimi FRIDERICVM ſede locauit
Imperij totus fidus ſapiensq; ſenatus
Nunc ipſi ſceptrum tradit, regniq; coronam
Imponit, regni mandatq; inſignibus uti
Ergo rex FRIDREICH ſalue, rex optime ſalue
Accipe ſceptra gerenda lubens, tibi fata tuoq;
Indulgent generi, regni rerumq; potito
Haud deus alterius fidei ſubmittere gentem
Danorum uoluit, ſed te FRIDERICE uocauit
Vt patris exemplo tibi tradita regna gubernes
Ergo quid hoc ſceptrum renuis, regniq; coronam
Suſcipere? hanc tribuunt iuſtè tibi Danica regna
Et Maieſtatem, patrios, & regis honores
Tu decus Holſatæ ſtirpis, laus, gloria, tecum
Semina uirtutum trahis à genitoribus ortus
Claris, hanc ſtirpem & uarijs uirtutibus ornas
A genitore tuo doctus, quod cœlica uerba
Sit Ducis officium, ſacros cultusq; tueri

Recté Euangelij populis oracula tradi
Curás, Præcones uerbi & mercedibus auges
Largis, ingenuas nutrisq́; fideliter artes
Qui tradunt, uaria & linguarum idiomata callent
Nec pateris Papæ delyria uana doceri
Diuino prohibes celebrari Numina honore
Falſa, & Apoſtolicis legis ipſe repoſta libellis
Nam tua Maieſtas ſcit, conſtituiſſe ſupremum
Regem, ſtelliferi qui cœli ſceptra gubernat
Imperia, ut toto patefactus in orbe colatur
Hinc etiam indomitos uinclis & lege coherces
Et præmis imperio, non ſubdere colla uolentes
Legibus, & ſæuo degentes more ferarum
Quod iubet & ſceptrum, tua quod nunc dextera geſtat
Vt legum ſtatuas non irrita uincula, legi
Haud tamen ætherei de culmine diſſona cœli
Perlatæ, & iuſtos defendas, fœdera uitæ
Turbantes ſociæ detrudas iuſtus ad Orcum
Quin etiam uera pro relligione, periclum
Proq́; Dei cultu, pro legibus omne tuendis
Suſcipias, uitam & lædi patiare caducam
Hoc etiam Alphonſus rex prudentiſsimus Heros
Significare uolens Pelicani in imagine, talem
Iuſsit auem pingi fodientem pectora roſtro
Profluat ut roſeus læſo de pectore ſanguis
Mortua pullorum & tingentem corpora, donec
Ipſorum redeat deperdita, uita ſuperſtes
Huic & ſubſcribi præcepit uerba figuræ
Pro grege, proq́; ſacris cruor eſt fundendus habenis
Legum, ſicut auis pro pullis pectora ledit
Quod mirum eſt, legum facis omnia iuſsa potens Rex
Primus, & eximijs factis cupis ante uideri
Vulgus ut ad cunctas uirtutes mobile flectas
Propterea geſtant auro gemmisq́; coronam

Ornatam, ut ueluti micat auro Margaris, omnes
Sic reges omni niteant uirtute decori
Et ſibi ſubiectos inuitent moribus aptis
Hac etenim ratione ferox ſtudioſior æqui
Fit populus, nec ferre negat pia uincula legum
Cum uidet Autorem ſua ſanctè iuſſa uereri
Qualis enim rex eſt, tale eſt & mobile uulgus
Ad quid opus, tua ſit clementia quanta, relatu?
Quid? quod clementi natus genitore benignum
Te tibi ſubiectæ præbes rex inclyte plebi
Scis punire malos, idem ſcis parcere iuſtis
Te ciuem præbes & patrem ciuibus, id quod
Vnctio, qua cuncto ſunt uſi tempore patres
Significat, ueluti lacerati corporis artus
Haud oleum mordet, ſæuos lenitq; dolores
Sic rabie abſtineant ſæuaq; tyrannide reges
Sint in ſubiectos faciles, ſint atq; benigni
Seuitiam fugiant, reprimant animiq; furores
Quod tua Maieſtas ſcit & omnem temperat iram
Ne faciat rabido compulſa furore, poteſtas
Quod diuina ſcelus poſt ulciſcatur acerbè
Pellæi canitur moderatio nota Monarchæ
Qua fuit in uictos, & qui ſua colla dederunt
Subdita, propitius, fuit & tibi PORE potens rex
Laudibus & uehitur Perſæ clementia regis
Qua crœſo ueniam dedit, is licet eſſet acerbus
Hoſtis, & incolumem uitam uice muneris ipſi
Donauit, quæ res præconia digna meretur
Cur eadem non ſit FRIDERICO in principe uirtus
Qui patris exemplo doctus ſibi temperat, & nunc
Ipſe legit, quod ſit ueniæ placatior idem
Quò quiſq; eſt maior, rex & quod lenior eſſe
Debeat, hoc regis decus eſt, hæc gloria regis
Sed breuiter, patriæ uirtute probatus haberis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 274 [35,-172 4°]

Rex adeò FRIDERICE, tuisq; & ciuibus, in te
Vt fixis oculis te quiſq; tuamq; celebret
Militiam & graue Martis opus, tua cernere facta
Aſſueſcat, primis & te miretur ab annis.
Ergo quis haud dignum Fridericum regis honore
Deputat? Atq; illi ſceptrum regniq; coronam
Haud iuſte tradi, claro uirtute parente
Orto, qui pacem fouit, uim nouit & hoſtis
Pellere, gratetur regi nunc Danica proles
Gaudeat, atq; edat plauſus & iubila læta
Hunc ueſtræ regem gentis ſacra numina poſcunt
Dignum, præterea ſpes & ſolatia ueſtri
Hunc deus adiunxit uobis, huic Marte potenti
Atq; toga, imperij rectè commiſit habenas
Ipſe ſalutares reges dat & ipſe uiciſsim
Degeneres regni de culmine trudit eoſdem
Eſt ſua cuiq; dies regno, dimenſaq; meta
Vltrà quam ferri prohibent cœleſtia fata
Namq; ut non herbis omnis uiret omnibus hortus
Aut plantis, illas mordet, linquitq; uenenum
Sæpe caper, flatu & lædit uirgulta nocenti
Aut caries illas infeſtas obſidet herbas
Vnde liquor fluidus uis & ſubducitur illis
Et pereunt lapſis effetæ uiribus omnes:
Sic ruit imperium, languent cum pectora regum
Omne, & transfertur Diadema regentibus ipſis
Culmine deiectis excelſo & uiribus orbis
Ergo datum uobis regem diuinitus, o uos
Suſcipite, ad cœlum & ſublatis plaudite palmis
Hoc duce Fridrico celeberrima Dania ſalue
Salue Noruegia, & loca nunc ſaluete propinqua
Sit quoq; læta, quod hic, DITMARSIA, uicerit oram
Illam. Nam rege eſt hoc nunc quam tutior antè
Iamq; afflicta tenet tutas Eccleſia ſedes,

Iam ſine fraude fides pudor & ſunt commoda pacis.
Salue feſta dies, qua rex Diademate ſacro
Ornatus FRIDREICH, præſtans incedit ut Heros
Hæc fuit à multis longis optata diebus
Hæc etiam luxit tandem proſperrima uobis.
At Rex gemmata FRIDERICE uerende corona
Imperium cuius fratrum ſtat numine dextro
Noſtrorum, exemplo patris defende, ſubacti
Qui tibi ſunt, regno & ſæuos depelle latrones
Et rabidos auerte lupos, ne Papa prophanos
Reſtituat cultus, Chriſti & deuaſtet ouile
Nunc etenim rabies Romani tentat & urget
Pontificis, ſtygij ſtimulis impulſa Draconis
Omnia molitur, uariasq; excogitat artes
Supprimat ut Chriſti pia dogmata, ſanctaq; perdat
Organa diuinæ uocis, ne pullulet hortus
Amplius, æterno conſperſus ſemine, nec ſit
Vlla fides, pereat pietas, atq; ingruat omnis
Barbaries, ſociæ ſint nullaq; fœdera uitæ
Sed malè ſupremo decernit bella tonanti
Qui minimo ipſius diſperdere bellica nutu
Arma poteſt & ſunt eius ſine uiribus arma
Irrita: Sed uerbum Domini fortiſsima rupes
Hunc contra eſt, reges quod non patiantur ab ipſo
Deleri, ſi uel cogantur & arma mouere
Id quoq; Maieſtas faciat tua, pellat ab ora
Regni, turbantes cœleſtia dogmata fuco
Papæ, uel prorſus tradentes diſſona uerbo
Principibusq; tuos noſtris coniunge labores
Vt Turcæ noſtris ſæui reprimantur ab oris
Vincula ne pereant legum, nec cultus honeſti
Nec ſacra relligio, cuius ſit maxima cura
Regibus. Imperij ueſtri pellantur & hoſtes
Quod deus ornatum uoluit præcellere donis

Eximijs, ueræ dum relligionis apertam
Illi donauit lucemq; hominesq; peritos
Quod ſupereſt, ratio ſuſcepti muneris à te
Exigit, ut foueas & complectaris amore
Ex Helicone deas, & eos, qui rura ſororum
Florida pegaſidum cupidi ſectantur & arma,
Horum quæſo uelis agere inuictiſsime Fridreich
Curam qui pacis ramos ſub guttere portant
Qui monitis inſtant, merito dignetur honore
Vt uulgus reges & ſancti iura ſenatus
Carmina qui regis ſummi cantant in honorem
Quiq; dei laudes extendunt factaq; latè,
Heroumq; canunt res geſtas carmine grato,
Quo nihil in toto præſtantius orbe uidemus,
Sic regum laudes & facta reliquit Homerus
Deſcripta à ſeſe, quæ ſi non ſcripta fuiſſent
Plurima nos denſa caligine merſa laterent
Ergo tutelam rex ſuffice uatibus, illos
Protege, ſic famam laudesq; merebere ſummas
Eximio dona uates in carmine lauro
Penæa, iuſtis dignos & ſumptibus orna
Sic etenim laudes tibi honos nomenq; manebit
Sint Mecenates, & erunt, FRIDERICE, Marones.

Hæc in honore tuo cecinit mea muſa Thalia

Rex Friderice pater patriæ, cui ſceptra gerenda
Tradita ſunt regni Danorum, atq; aurea ſerta,
Nunc precor æternum, cuius ſtant numine regna
Regem, quiq; bonos dat reges, utile donum
Vt tibi demittat cœlo Spiramen ab alto
Sanctum, quod motu tua ſacro corda gubernet
Ipſe ſit & facilis tibi, largitorq; benigni
Succeſſus, uiresq; tuis conatibus addat
Reprimat & gentem quæ celſo culmine regni
Vt te præcipitem eijciat, contendit & urget

Ipſorumq;

Ipſorumq́; ſuo capiti molimina clades
Sint, atq; iniuſtus recidat conatus in ipſos
Ipſe tuis adſit Deus, ut ſint proſpera quæſo
Conſilijs, lateq; extendat mitia ſceptra
Et tua Maieſtas uidua cum matre per annos
Neſtoreos ualeat, nullis agitetur & undis.

PSALMVS SECVNDVS,
QVARE FREMVERVNT GEN-tes etc. Carmine redditus a

IOANNE STIGELIO.

QVæ tamen effrenes cepit dementia Gentes,
Quæ populos tanto cauſſa furore mouet?
Quæ noua clamoſum rapit indignatio uulgus,
Ardua cur fremitus tantus in aſtra furit?
Vndiq; conueniunt terraq́; mariq́; potentes,
Conſilijsq́; nouis cepta nephanda parant.
Sæua rebellantes coeunt in fœdera reges,
Vt ſummi impediant iuſſa uerenda Dei.
Impia crudeles meditantur bella tyranni,
E medio ut tollant corda profeſſa Deum.
Nec furor hic tantum reges inuaſit, & illos
Qui populos certa ſub ditione tenent.
Qui præſunt templis, myſtarum & nomina iactant,
Oppugnant ipſum turba maligna Deum.
Illi omnes ima delere a ſtirpe laborant,
Qui tradunt uera cœlica uerba fide.
Quin etiam clamant rumpamus fœdus eorum,
Quid patimur tanta non patienda mora?
Quid dubitamus adhuc noſtras opponere uires,
Atq; intentatum ui prohibere iugum?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 274 [35,-172 4°]

Sed Deus è cœlis conatus ridet eorum,
Signaq; uindictæ dat manifeſta ſuæ.
Ille ſuo pœnas iratus tempore ſumens,
Conſilia effectus non habitura premet.
Nam quamuis oculis quaſi coniuentibus illos
Nequiciam ad tempus continuare ſinit:
Supplicium certam tamen exigit ultor ad horam,
Impietas illum fallere nulla poteſt.
Hei grauis, atq; ipſa res eſt digniſsima morte,
Aduerſus iuſtum bella mouere Deum.
Non armis diuina poteſt ſapientia uinci,
Omnia quæ nutu fecit, & eſſe uetat.
Ecce Deus regem ſtatuit ſupra alma Sionis,
Et ſupra Solymæ templa beata plagæ.
Ille Dei toto pandens oracula mundo,
Talia miranda nuncia uoce feret.
Rex ego perpetuum deſcendens numen ab illo,
Qui ſine principio eſt, qui ſine fine Deus.
Prædico præceptum ſancti cœleſte parentis,
Qua loquar, è cœlo uox ea miſſa uenit.
Filius es, dixit, mihi tu dilectus & unus,
Ipſe hodie dicar te genuiſſe pater.
Exige iure tuo, dabimus quodcunq; rogabis,
Nil poterit pietas noſtra negare tibi.
Hæredem agnoſcent noſtro te munere Gentes,
Sub ditione tua ueſper & ortus erunt.
Vt fragiles teſtas, tua conteret ira Tyrannos,
Qui renuent ſceptri iura uerenda tui.
Talia gauiſo memorabit nuncia mundo,
Aeterni ueniens filius ille Dei:
Ille intercedens ueteris pro crimine culpæ,
Aſpera cum ſæua prælia morte geret.
Tum uictor domito referens ex hoſte triumphum,
Et Rex, & Dominus totius orbis erit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 274 [35,-172 4°]

Nec tantum populos Ieſſæo ſemine natos,
Imperio adiungent, ſubdita membra ſuo.
Verum etiam Gentes, quæ tantum idola ſecutæ
Noticiam ueri non habuere Dei.
Quem ſi qui renuent dominantem agnoſcere regem
Hei qua ſupplicium conditione dabunt?
Tam facile hos poterit diſperdere funditus hoſtes,
Illius ira uelut ferrea uirga premens.
Quàm facilè abſcedens in plurima fruſta fatiſcit,
Cum quatitur figuli fictilis olla manu.
Ergo omnes populi uenientem agnoſcite Chriſtum,
Atq; ipſi læta fronte parate uiam.
Sed uos præcipue reges, qui ſceptra tenetis,
Quos populi certa ſub ditione timent.
Diſcite iuſticiam moniti, & non temnere Chriſtum,
Vnica qui ueſtræ cauſſa ſalutis erit.
Diſcite non falſo Domino ſeruire timore.
Nec careant aliquo gaudia ueſtra metu.
Qui genus humanum fraterno amplexus amore,
Inclyta pro ueſtra uictima morte uenit.
Excipite unanimes cupidis amplexibus illum,
Illi per medias oſcula ferte uias.
Illius tota doctrinam apprendite mente,
Corrigat errores impia uita ſuos.
Ne quando iuſtam uindex accenſus in iram,
Obruat in media uos leuitate Deus.
Nam ſubito iuſtum caput illius ira furorem,
Tempore quæ longo uiſa ſepulta fuit.
Efficite ut ſancti clareſcat gloria uerbi,
Gratior eſt ſummo functio nulla Deo.
Non amat externo delubra ſonontia cultu,
Non amat impoſito munera thure Deus.
Officia ex animo, fidoq; oblata timore,
Reſpicit, & quorum eſt unica cauſſa fides.

Aurea marmoreis educere templa coloſsis,
Ponere miranda ſigna peracta manu.
Pontificum ingentes alere, & producere pompas,
Res ea ſinceræ nil pietatis habet.
Veſtrum eſt per populos diuinum extendere uerbum,
Hinc ſacra uos ſeruos uox iubet eſſe Dei.
Qui tali officio Domino placuiſſe laborant,
In cœlo precium pro pietate ferunt.
Atqui ceu longo deuicti corda ueterno,
Reſpectum officij non habuere ſui.
Obruet hos Dominus, nil quicquam tale timentes,
In media ut pœnas impietate luant.
O fœlix quicunq; Deo confidit, & illum
Per uitæ ſequitur cuncta pericla ducem.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 274 [35,-172 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 274 [35,-172 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 274 [35,-172 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 274 [35,-172 4°]